F. K. 60.
24

x 2055020

Z c
3799

Lichtenhahn

VD17

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-81336-p0001-8

IV. 402.

ITER,

qvod

Ampliſſimus atq; Clariſſimus

DN. DAVID LICHTENHAHN.

Schneeb: Medic: Cand:

In BELGIUM atq; BRITANNIAM parabat

auſpicatiſſimum apprecatur

Joh. Drechſel. Schn. Miſn:

SIccine jam rurſus peregrinas tendere ad oras,
Te juvat, & patrias deſeruiſſe domos?
Nonne ſatis docuit Salana Machaonis artes,
Et qvæ præterea culta Lycéa TIBI?
Nec mage ſufficiens librorum larga ſupellex,
Ut placeat potius plena labore via?
In Batavos meditaris iter, longeq; Britannos,
Qvos noſtro removent æqvora vaſta ſolo.
Auſoniam qvidni cultam tetigiſſe juvabit,
Qvæ Phæbi qvondam viſa ſacrata domus?
Hic ubi complures decorarunt pulpita docta,
Artis Apollinææ, nomina magna, Viri.
Aſt hoc omne decus Belgis ceſſiſſe videtur
Qvos longè reliqvos jam ſuperaſſe putas.
SYLVIUS hic teſtis, teſtisq; HELMONTIUS eſto,
Cumq; DYMERBROECKO, GRÆFFIUS usq; ſiet.
SWALBIUS accedant & VAN DER LINDIUS, etſi
Fatis concedant; fama perennis erit.
Et qvi ſint alii, qvorum longiſſimus ordo,
Ingenii celebrant qvos monumenta ſui.
Hos adiiſſe juvat Temet, coramqve tueri,
Commoda qvod ſtudiis addere plura poteſt.
Hinc animus porro ſapientes pergere ad Anglos,
Naturæ qveis ſunt unica cura ſacra.
Qvosqve fovet Regis magni ſolertia, cujus
Collegî merito culmina magna cluent.
His BOYLÆUS acer ſcriptis celeberrimus, atqve
Dygbæus reliqvis annumerandus erit.
Ingenii callen qvîs pandit acumine dudum
Regni qvi tenuit, ſcrinia ſacra BACON.
Hæc ubi luſtrabis terræ miracula noſtræ,
Pectora tentabunt gaudia multa TIBI.
Inde ſtupens cernes per longa armaria libros,
Qvæve horti celebres plurima rara fovent?
Ergo cum ſocio mihi non licet eſſe, qvod opto
Accipias, placido pectore, Amice, rogo,
Sit comes ipſe TIBI ſupremi Rector Olympi,
Greſſus deducant Angeliciqve chori.
Nec Gravis usqve ſiet fervens Hyperionis æſtus,
Noxia neve cadant frigora iniqva TIBI.
Mitia Neptunus ſubſternat & æqvora navi,
Vela ubi per pelagus ſint facienda TIBI.
Hinc cum qvæſitis expleſti pectora rebus
Et voti ardentis ſumma recepta TIBI.
Incolumis patrias rurſum converſus ad oras
Suſcipe qvæ Phœbi, præmia digna manent.
Et qvæ forte parat TIBI gaudia plura Dione.
Hæc, opto, relevent tædia longa viæ.

Schneebergæ Typis Pfüznerianis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-81336-p0002-3

Zc 3799 FK

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-81336-p0003-9

IV. 402.

ITER,

qvod

Iccine jam rurſus peregrinas tendere ad oras,
Te juvat, & patrias deſeruiſſe domos?
Nonne ſatis docuit Salana Machaonis artes,
Et qvæ præterea culta Lycéa TIBI?
Nec mage ſufficiens librorum larga ſupellex,
Ut placeat potius plena labore via?
In Batavos meditaris iter, longeq́ Britannos,
Qvos noſtro removent æqvora vaſta ſolo.
Auſoniam qvidni cultam tetigiſſe juvabit,
Qvæ Phœbi qvondam viſu ſacrata domus?

Ingenii callen qvîs pandit acumine dudum
Regni qvi tenuit, ſcrinia ſacra BACON.
Hæc ubi luſtrabis terræ miracula noſtræ,
Pectora tentabunt gaudia multa TIBI.
Inde ſtupens cernes per longa armaria libros,
Qvæve horti celebres plurima rara fovent?
Ergo cum ſocio mihi non licet eſſe, qvod opto
Accipias, placido pectore, Amice, rogo,
Sit comes ipſe TIBI ſupremi Rector Olympi,
Greſſus deducant Angelicique chori.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-81336-p0004-4